

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Programma, Qvo Rector Universitatis Gryphiswaldensis;  
Theodorus Hornius, Log. Ac Primæ Philosophiæ Prof.  
Publ. Ord. Collegii Philosoph. h.t. Decanus, In Festo  
Pentecostes, De Fine Veteris Testamenti ...**

**Horn, Theodor**

**Gryphiswaldiæ, [MDCCIV?]**

**VD18 13083163**

[Programma, Qvo Rector Universitatis Gryphiswaldensis; Theodorus  
Hornius, Log. Ac Primæ Philosophiæ Prof. Publ. Ord. Collegii Philosoph. h.t.  
Decanus, In Festo Pentecostes, De Fine Veteris Testamenti ...

**urn:nbn:de:gbv:45:1-17325**



**F**estum Pentecostes, cuius sacram  
solennitatem per tria millia, & amplius, an-  
norum primum sub antiquo, inde sub novo fœdere conti-  
nuatam nunc cœtu rituqve sibi detoro Ecclesia celebrat, eam  
etiam ob causam a DEO olim esse institutum dedicatumqve, ut conser-  
vetur memoria late ab eodem Numine in Monte Sinai Legis, inve-  
terata sententia est, ac non mediocrium virorum opinione per vulgata,  
qvæ tam alte radi.es egit, ut vix evelli posse videatur. Ne sine con-  
troverſa diserti videamur, aut cum turba nobis res sit, demus ei Ad-  
vocatam non unam. Rabbi MOSIS MAIMONIDIS (de quo aliter  
CASAUBONUS adfirmat (a), se vere posse dicere, qvòd  
PLINIUS de Diodoro Siculo, primum inter suos desiisse nuga-  
ri (b), qvemqve multæ atqve ingentis doctrinæ virum usurpat)  
verba huc collineant in Libro מורה נבוכים (c) Festum hebdo-  
madarum est dies ille, qvo Lex data fuit. Ad hujus diei ho-  
norem pertinet, qvòd dies a præcedenti solenni Festo (Pascha-  
tis) ad illum usqve diem numerantur, qvemadmodum qvis  
optimum ac fidelissimum amicorum suorum expectans  
dies & horas numerare solet. Hæcqvæ vera causa etiam  
est numerationis homer a die, qvo egressi sumus ex Ægy-  
pto usqve ad diem promulgationis legis, qvæ præcipua  
fuit causa & finis exitus ipsorum. Rabbi ABRAHAM ABEN  
ESRA

(a) Exerc. XVI. Num. LXXVII. pag. 538. b. fin. (b) PLIN.  
Præfat. Histor. Nat. (c) Part. III. Cap. XLIII.

**ESRA** (d): innitemur traditioni, quæ sexto die Mensis Si-  
 van, hic quinquagesimus est ab exitu, legem traditam esse con-  
 tinet. Unde & olim Pentecosten חַג הַשִּׁבְעִי gaudium siue fe-  
 stum legis appellarunt, & propterea isto die volumen legis in Syna-  
 gogis suis solennius expandunt, velut testatur Christianus GERSON  
 (e). Ac ne quis auctoritate istorum hominum, quippe ævi inferioris  
 Magistrorum nos contineri calumniatur, e CHRISTI disciplina multo  
 vetustiores rerum divinarum & antiquitatis inprimis peritos idem  
 censuisse, faciendum ut ostendamus. LEO igitur Hebræo, ait, quon-  
 dam populo ab Ægyptiis liberato quinquagesimo die post  
 immolationem Agni, Lex data est in Monte Sina (f). LEO-  
 NE antiquior AUGUSTINUS (g); Quinquagesimus dies in ve-  
 teribus libris commendatus. Nam & ibi posteaquam Pa-  
 scha occiso agno celebraverunt, dies quinquaginta nume-  
 rantur, usque ad diem, quo Lex data est in Monte Sinai  
 famulo DEI Moyfi. Et HIERONYMUS (h) supputemus  
 numerum, inquit, & inveniemus quinquagesimo Die egres-  
 sionis Israel ex Ægypto, in vertice Montis Sinai Legem da-  
 tam, unde & Pentecosten celebratur solennitas. Ut CYPRI-  
 ANUM (i) & CHRYSOSTOMUM (k) taceam. Horum Aucto-  
 rum gravitate fracti infiniti Expositores & Tractatores minime du-  
 bitandum esse existimant, & jam dicta explicatius exsequuntur, hoc vel  
 maxime pugnantes, DEUM quinquagesimo post primum Pascha die,  
 in monte Sinai fumigante, nubibusque contexto inter fulmina & ro-  
 nitrua, Legem tripartitam, morum, rituum & juris Civilis tulisse,  
 bancque promulgationem Legis sue quovis anno hoc die voluisse in me-  
 moriam revocare, ac similiter quinquagesimo a Resurrectione CHRI-  
 STI die, misso sub conspicua flammarum & linguarum ignearum

( 2

forma

- (d) In commentario ad Exod. XIX. (e) Talmud. German,  
 Part 1. Cap. XVI. (f) Sermone I. de Pentecoste (g) Epist.  
 ad Januar. CXIX. Cap. XVI. & Quest. ex N. T. Cap. XCV.  
 (h) Epist. ad Fabiol. mans. XII. (i) Serm. de Spirit. S.  
 (k) Serm. II. de Pentecoste.

*forma SPIRITU SANCTO in Apostolos, tanquam nova Ecclesia Patriarchas, virosque Apostolicos doctrinam Evangelii promulgatam esse. Ex quo facultatem nacti sunt inter Pentecosten veteris & novi instrumenti, inter Legem & Evangelium quid intersit, spatiosè designandi. Scilicet ut pauca attingamus, id discriminis hujusmodi est. Prima judæorum Pentecoste celebrabatur inter horrenda tonitrua, fulgura & fulmina, quæ inspectantibus maximum terrorem incutiebant. Historiam omnem divinus Scriptor MOSES persequitur (1): in qua commemoratione bis momenti attendi volunt. Audiuntur ingentia tonitrua, & videntur fulmina, & fumus montis Sinai flammantis, instar camini igne ardentis: sic lex jaculatur terribilia fulmina & tonitrua ira divina in omnes peccatores: quid quod ipse DEUS ignis confumens est (m). Clangor & sonitus buccina intenditur, & paulatim major redditur: sic accusatio peccati, quæ a legis voce oritur, & horribilem quasi clangorem in cordibus excitat, magis magisque augetur, & in omnem aternitatem crescet in impiis, etiam in inferno. Populus timet sibi pavore concussus: Ita lex horrendum pavorem & terrorem mentibus ac cordibus injicit. Non potest vulgus ascendere in montem Sinai: sic lex non ducit in cælum, sed arcet ab eo omnes peccato pollutos. Fugit populus conspectum DEI, atque adfirmat se non posse audire DEUM, nec colloqui cum ipso: ita lex facit ut homines fugiant DEUM, tanquam severum & iratum judicem, non admittit eos ad colloquium cum DEO. In Novi Testamenti Pentecoste vero effundebatur SPIRITUS SANCTUS flammarum & ignearum linguarum specie, sed simul cum impetu vehementis flatus, ut ostendatur & lucem agnitionis & celebrationis DEI in mentibus Eum accendere, & simul corda arefacta igne ira divina recreare & refrigerare. SPIRITUS S. in Novi Testamenti Pentecoste effusus clangori tube Legis accusantis nos propter peccata opponit vocem & suavissimum sonitum Evangelii de gratuita peccatorum remissione propter CHRISTUM donanda &c. SPIRITUS SANCTUS pavorem, timorem & tremorem animis eximit (n). SPIRITUS SANCTUS per Evangelium in cælum ducit*

(1) Exod. XIX. & XX. (m) Deut. VI. 24. (n) Vid. Rom. VIII. 15.

cit: monstrat enim veram viam in caelum, CHRISTUM (o). In pre-  
 catione SPIRITUS S. ita mentes inflamat, ut statuant se loqui cum  
 Patre carissimo, in quo sit mens, voluntas, studium & desiderium  
 iuvandi & opitulandi (p). Et quae cetera esse possint collationi huic  
 atque contentioni inservientia, piisque cogitationibus, quas subji-  
 unt, sic satis opportuna. Cujus ergo sententia fundus atque stirps,  
 ut apparet, est, quod eodem die quingagesimo Lex data divinitus,  
 & Pentecostes Festum celebrandum. Enimvero facile deprehendas,  
 qui nondum liquido constare dixerint, datam esse Legem DEI in mon-  
 te Sinai, die quingagesimo a Paschate celebrato, & hoc vel maxime  
 dato atque posito, inde tamen minime e sacris quidem literis, quod  
 vero fieri par erat, confectum, DEUM hunc in finem Festum hebdo-  
 madum, sive pentecostale, veteris Testamenti instituisse, ut promul-  
 gationem Legis suae hominibus in memoriam revocaret. B. AFFEL-  
 MANNUS (q) Frequens est, inquit, & utramque paginam  
 facit illa consideratio, quod in Pentecostes V. T. celebra-  
 tione Lex lata, in Novae autem celebratione Spiritus S.  
 gratia visibiliter effusa fuerit. Male. Nam cum Lex in  
 monte Sinai promulgata fuit, Exod. XX. Pentecoste non-  
 dum divinitus erat instituta, neque de ea celebranda quic-  
 quam Israelitis innotuit, nisi ad minimum post octoginta a  
 promulgato Decalogo dies, quod diligens Textus apud Mosen  
 in Exodo, Levitico, Numeris & Deuteronomio considera-  
 tio docebit. AFFELMANNO suffragantur B. FRANZIUS (r),  
 B. CALOVIUS (s), B. JO. TOB. MAJOR (t), alique, & e  
 Reformatorum communiore idem sentit FRANC. GOMARUS (u).

) 3

Nullibi

- (o) Vid. Job. XIV. 6. (p) Rom. cit. incip. 15. seq. (q) Sy-  
 stem. Theol. Part. 1. Disp. XIII. de SPIRITUS S. Persona,  
 pag. 369. in προαυλιω. (r) Tract. de interpret. Script. Orac.  
 CXXI. & Comment. in Levit. Cap. XXIII. pag. 496. (s) Bibl.  
 Illustr. ad Exod. XXIII. 17. fol. 438. (t) Annot. ad Act. Apostol.  
 pag. 32. (u) Oper. Theolog. fol. 266. seqv. ubi haec suis tem-  
 poribus luculenter divisa exhibet. Conf. FRANZ. Comment. cit.

Nullibi in Scripturis legitur, Hebraeos eadem quingvagesima a secundo azymorum die & Legem accepisse a DEO, & Apostolos SPIRITUM S. sed tantum judeos primitias frugum terra, luce illa, ex mandato divino, obtulisse (x). Quare non ineptire videntur, qui, remoto isto instituta Pentecostes sine, tamquam alieno, proprium faciunt vel expressum, vel adumbratum. Expressus erat gratisimi pectoris adversus DEUM, ob duo eximia corporalia beneficia, testificatio: quorum primum erat messis triticeae donatio: gratitudinis autem officium pro eo prescriptum erat primum publica primitiarum illius messis oblatio: unde etiam Festum primitiarum vocatur (y), quia duos ex messe panes offerebant primitias DEO cum suis sacrificiis (z). Alterum deinde fuit sacri epuli hilaris cum liberis ac servis, peregrinis etiam & aliis invitatis ad DEI gloriam celebratio (aa). Secundum DEI beneficium erat liberatio ex servitute Aegyptiaca, & introductio in terram promissam: gratitudinis vero officium gratia utriusque justa recordatio (bb), & publica illius coram DEO & Ecclesia professio, quae accurate & plane describitur in quinto Libro Moysi (cc). Expresso finis adumbratus hic typo accedit, nimirum beneficii spiritualis per CHRISTUM conferendi, & officii gratitudinis Ei prestandi prophetico huius Festi typo significatio; velut PALLUS precipit (dd), ne quis vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut novilunii, aut sabbatorum. Quae sunt umbra rerum futurarum, corpus autem CHRISTI, hoc est, res significata ad CHRISTUM pertinet. Beneficium enim DEI spirituale per CHRISTUM externo Pentecostes signo adumbratum est duplex: primum donorum SPIRITUS S. quasi messis cuiusdam primum Apostolis, deinde per eos Ecclesiae collatio (ee): alterum est liberatio e spirituali

- (x) Levit. XXIII. 10. Num. XXIX. 26. (y) Num. cit.  
 (z) Levit. XXIII. 16. seq. Deut. XVI. 22. (aa) Deut. XVI. 11. (bb) Deut. XV. 12. (cc) Deut. XXVI. ab inciso 1. ad 12. (dd) Col. II. 16. seq. (ee) Ephes. IV. 8.

*servitute peccati (ff), ex potestate Satana, ac translatio in Regnum  
 CHRISTI (gg). Gratitude vero pro hoc gemino beneficio DEO per  
 CHRISTUM debita, & per Israelitarum in Pentecoste gratitudinem  
 adumbrata prima est, ut donis illis spiritualibus acceptis DEO per  
 CHRISTUM primitia eorum, sancta recordatione ac celebratione offe-  
 rantur, & ad gloriam illius, ad vitam spiritualis ac vera sanctitatis,  
 cum nostra, tum proximi incrementum iisdem utamur (hh). Altera  
 est, ut liberati a servitute peccati & Satana, & translati in Regnum  
 CHRISTI, hereditatem caelestem, grato animo hoc recolamus, & co-  
 ram DEO & Ecclesia profiteamur, & quemadmodum Scriptura pra-  
 cipit, ut gens sancta, populus qui in lucrum accessit, ut  
 virtutes praedicet illius, qui e tenebris nos vocavit in ad-  
 mirabilem suam lucem (ii), gratias agentes Patri, qui  
 idoneos nos fecit ad participationem fortis sanctorum in lu-  
 mine &c. (kk). Quae gratiarum actio non solum animo & ore, sed opere  
 etiam peragenda est, ne liberati a servitute illa peccati & Satana, proculcata  
 gratia, ac foeda ingratitude serviamus rursus peccato, sed DEO ac CHRI-  
 STO Redemptori in vera sanctitate ac iustitia ipsi debita grati serviamus  
 (ll). In hac, & ulteriores, quas Verbum DEI ejusque Praeconi liberaliter  
 pandunt, contemplationes vestras, se injicere CIVES carissimi, mentes  
 ac intendere Festis his diebus utique par est. Alio quidem tempore quo-  
 tidiana vestra studia & continua auditiones Vos in officio continere  
 possunt, certe debent, feria ista non laxant, sed solvunt multorum  
 animos, ac ad sequiora nonnunquam pelliciunt, quod prohibere nostri  
 merito est negotii. Quod itaque PLATO, quum auditores suos dimitte-  
 ret, his subicere solebat; videte ut otio ad res honestas uta-  
 mini, idem existimate per festa haec programmata vobis quoque sug-  
 geri & velut acclamari. Idque eo contentius merito facimus, quod  
 constet Satanae insidiis sacros imprimis dies, quibus ad cultum DOMI-  
 NI enixiorem populus evocatur, esse commodos. Tum enim adversas  
 pietati*

- (ff) Rom. VI. 6. & 18. (gg) Col. I. 13. (hh) Eph. IV. 12.  
 (ii) 1. Petr. II. 9. (kk) Col. I. 12. seq. (ll) Luc. I.  
 47. seq. Rom. VI. 6. 19. 22.



Hoffm

aus Alex

Ste

ic mand

Paar

salica

Dr. P. H. St.

tecora

pietati illecebras conatu majore subministrat ille εὐλασῶν, iisdemque incautiores multorum animos ita sapius irretit, ut in alia omnia devolvantur, & dies placendo ac celebrando DOMINO consecratos in irritamentum atque opprobrium sanctissimi Numinis convertant. Ab his Satanae tendiculis, & profani vulgi moribus procul Vos retrahere opera in aliis nobis est CIVES, quum statis temporibus e publica vos tabula alloquimur. Debent omnino Academiae praeter ceteris societatibus singulari quodam virtutum decore splendere, ne fallant patriam spes sua, aut alienis & obliquioribus occasio obrectandi praebeatur. Quid elogii nostris Academiae jam tum a NICOLAO SERARIO tributum, ex ejus in Librum judicum commentatione (mm) ignorari non potest: quae non erumperent, imo quae non eruperunt in easdem male piorum voces his temporibus, quibus, quod minime dissimulandum, voluptatibus & ceteris auctoramentis vitiorum, quae in exempla facillime proficiunt, parum conceditur superiori aetati, aut omnino nihil. Quod magis, quantum conniti animis potestis, quantum labore contendere, facite & efficite o NOSTRI! ut ab istiusmodi rebus longius vos submoveatis, neve committatis, ut, quum omnia salutaria sint a Nobis suppeditata, vosmet vobis defuisse videamini. Tu vero,

o flammæ intemerate liquor, o candidus ignis,  
Intima corda adolens, sed perdere nescius ignis;  
Nos refove, glaciemque animorum & frigora dira  
Solve calore Tuo, crassæ caliginis umbras  
Disjice, clarifico perfundens lumine mentes.  
Præcipue infaustum belli crudelis amorem  
Dele animis, positis pax infelicibus armis  
Ut recreet populos tandem & pia foedera jungat.

(mm) in judic. XI. pag. 143.

P. P.

Sub Sigillo Academiae,  
Ad diem XI. Maji, Anno MDCCIV.

